

## Yale University Library Digital Collections

<b>Title</b>	[Engraving depicting certain manners of dress]
<b>Rights</b>	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement.
<b>Generated</b>	2021-02-18 10:43:14 UTC
<b>Terms of Use</b>	<a href="https://guides.library.yale.edu/about/policies/access">https://guides.library.yale.edu/about/policies/access</a>
<b>View in DL</b>	<a href="https://collections.library.yale.edu/catalog/2000859">https://collections.library.yale.edu/catalog/2000859</a>

---

Decima tertia partis America

Mulieres castitatem & honorem suum constantissimè seruant, nisi mariti ipsis permittant, vt se prostituunt. Vnaquæq; familia & progenies suos habet agros & hortos, suarum manuum labore sustentans. Ferarum pellibus se vestiunt, pilis hyberno tempore intrinsicè versus corpus conuersis: æstate autem pelles inuertunt. Qui alicuius sunt notæ inter ipsos, Hybernorum more pallia gestant, ex pellibus ceruinis confecta, & floribus, sertis, variisq; coloribus ornata ac picta: vulgus nihil habet præter folia & similia quædam parua velamina, quibus pudenda tegat. Vidi quædam pallia ex auium pennis tam artificiosè contexta, vt præter pennas nihil apparet. Hæc sunt admodum calida & rutilantia. Fæminæ pelle ab umbilico vsq; ad genua semper sunt obtektæ: & eam deponere verecundantur. Sertis, picturis & coloribus se comunt atq; ornant. Quædam ma-



nus, faciem, vbera & crura variorum animalium imaginibus sibi pingi curant. In vtraq; aure tria plerunq; foramina habent, à quibus catenulæ,serta & aris frustula pendent. Quidam viri aures sibi similiter perforant, quibus viridem aut luteum serpentem, dimidiâ vlnâ longum gestant. Serpens iste circum collum eorum voluitur, & labra ac faciem blandè lambit. Alii mortuum murem caudâ ad aurem suspendunt: alij falconis alas & maiores pennas, aut alias ineptias. Alij falconis aut alterius pulchræ avis pellem cum pennis capiti imponunt: alij latum frustum aris: alij manum exsiccatam, quam hosti absciderunt. Caput & humeros puluere radicis *Pocone*, cui oleum admiscēt, illinunt, & rubro colore inficiunt. Aliis etiam modis sua membrâ colorant & pingunt: isque sibi elegantissimus videtur, qui maximè horribilem formam gerit.

Ædes suas extruunt ad flumina, & ad dulces ac limpidos fontes: ita vt illæ hortis Alcinoi comparari possint. Nam ex mollibus virgultis & salicibus, in superiori parte coniunctis, eas contextunt: deinde stercis & corticibus tanto artificio & industriâ cooperiunt, vt licet ventus summâ vi incubat, aut valde pluat, huiusmodi ipsorum domicilia æquè calida sint atq; hypocausta nostra. Illud tamen est incommodum, quòd fumus eos infestet: et si supremæ ædes spiramentum habeant, per quod ille exhalet. Circû rogum transuersis corporibus super scirpeas stragulas non nihil à terra eleuatas, cubant & dormiunt. Quidam verò stercas aut pelles animalium substratas habent: sunt & qui nu-

Incole catenulas,sertas, serpentes ac mures auribus gestant.

Coloribus se pingunt.

Ædes ipsorum.